

Q.N. 532, 23

B. m.



CONIECTVRAS  
IN ALIQVEM  
XENOPHONTIS LOCVM  
EDIT

S I M V L

X 2316498

DECLAMATIONES QVASDAM

A. D. VIII APRIL

H. D. Q. E

HABENDAS



INDICIT

GEORGIVS HENRICVS MARTINI

A. M. ET SCHOL. RECT



ANNABERGAE  
EX OFFICINA FRIESIA

COMITATUS

IN ALIUM

XENOPHONTIS LOCVM

EDIT

S. M. V. E.

DEGLAMATIONES QVADAM

A. D. VII. APRIL

H. A. G. S.

H. E. N. D. A. S.

INDICIT

GEORGIVS HENRICVS MARTINI

A. M. ET SCHOL. REG.

AMSTERDAMI  
EX OFFICINA BLAGIA



**C**oniecturarum in aliquot Liuii loca specimen, anno superiori a me editum, quoniam lectoribus meis non displicuisse intellexi, eorumque multis instituto tali visum non male mereri de auctoribus priscis, atque adolescentibus in disciplinam nostram datis: facile meum induxi animum, incensum cum assensu eiusmodi virorum intelligentium, tum laudabili de literis, quae ad humanitatem pertinent, bene promerendi studio ac cupiditate, ut cum lectoribus meis communicare velim coniecturam eam, quae mihi in mentem venit locum aliquem Xenophonem in scholis nostris interpretanti. Quod meum consilium, valde vereor, ne irritum, imprudens ac temerarium videatur multis; iis maxime, qui locum sciunt tentatum quidem esse a Gesnero et Bachio, viris, dum in viuis essent, fama meritisque longe celeberrimis, sed ab Ernesti *ἡ πρῶτον* vindicatum ac defensum. Quae res profecto faceret, ut coniecturam qualemcunque meam tegerem, neque in lucem proferrem, ni Vir S. V. patronus lectionis vulgatae praestantissimus, quem propter benevolentiam erga me suam existimare ac venerari satis nunquam possum, extrema obseruatione sua ipse monuisset, structuram orationis aliquid duri habere, quod non sit elegantissimum in scriptore, alias elegantiae studiosissimo; ac nisi ego arbitrarer, viam et rationem aliquam superesse, qua locus ille admodum facile sanari queat, et quod in eo duri est, leui mutatione facta, elegantius et quali mollius effici. Itaque nolui ea, quae mihi ad hunc locum sanandum apta visa sunt, in scriniis occultare meis, sed potius omni, qua hominem literas humaniores profitentem decet, modestia et humanitate examini virorum me et prudentiorum, et graece doctiorum subiicere, ut ipsi statuere possint, rectene coniecerim, an secus; meque, errantem si deprehenderit, in viam rectam reducere. Quod quum in hac dissertatiuncula edenda potissimum sequar, spero fore, ut lectores aequi et harum rerum prudentes, si quos viderint lapsus, eos mihi sint condonaturi, institutum non tam ex euentu, quam e consilio metientes meum.

Quae praefatus, extemplo in arcem causae inuadere et volo, et debeo, ne lectorum animos iusto longius in suspensum detinere videar.

Xenophontis locus, in quo nostri ingenii vires periclitari volumus, extat in ipsius Apologia Socratis, §. 4, verbis expressus, quae sequuntur: *ἐπει δ' αὐτον παλιν λεγειν, ἔχ' ὄρας ἰα ἀθηναίων δικαστηρια, ὡς πολλακίς μιν ἔδεν ἀδικηντας λογῶ ἰαξαχθεντες ἀπεκτεναι, πολλακίς δε ἀδικηντας ἢ ἐκ ἰα λογῶ οἰκτισαντες, ἢ ἐπιχαριτωσ εἰποντας ἀπελυσαν;* Eius tamen partem non nisi posteriorem tangere volumus; priorem non item, eo quod hanc a Bachtio Celiam satis explicatam vindicatamque esse constat. Igitur res omnis redit ad verba: *πολλακίς δ. ἀ. ἢ ἐκ ἰα λογῶ οἰκτισαντες, ἢ ἐ. εἰ. ἀ.* Gesnerus Celeb. legebat *ἐκτος λογῶ*, facili quidem mutatione: opponi enim rebatur *ἰω ἐπιχαριτωσ εἰποντας*. Quam quidem crisin non probauit Bachtio, editori Clariss. in not. ad h. l. scribenti, sibi opponi videri, et ad se referri inuicem *λογῶ ἰαξαχθεντες* et *ἐκ ἰα λογῶ οἰκτισαντες*. „ Quapropter malim, inquit, delere vtrumque „ ἢ, quod hic locum non videtur habere: cum posterius *ἐπιχαρι-* „ *τωσ εἰποντας* causam reddat, cur *ἐκ ἰα λογῶ οἰκτισαντες ἀπελυ-* „ *σαν*.“ Haecenus editor doctissimus. Qui nec ipse satisfecit Ernesti *ἰω πανυ*: quippe qui in epistola, ad editorem clariss. data, libelloque praemissa, ad hunc ipsum locum haec animaduertit: „ Mox §. 4. tecum sentio in eo, quod *ἐκ ἰα λογῶ* recte se habere, „ neque tentandum dicis: sed nec ratio, quam adfers, mihi probatur, nec cetera crisis, qua in illo loco vrsus es. Et quod ad „ illud quidem attinet, cum h. l. comparandus est alius in Memorab. III. 4, vbi Xenophon dicit, Socratem noluisse neque *προς* „ *χαριῖ ἰοῖς δικασταῖς διαλεγεσθαι, καὶ κολακευειν, neque δεῖσθαι παρὰ* „ *ἰα νομῶς*: horum illud respondet *ἰω ἐπιχαριτωσ εἰπειν* in hoc „ nostro loco, alterum *ἰο δεῖσθαι*, veniam petere, quod fiebat „ suppliciter et misericordia commouenda, *ἰω ἐκ ἰα λογῶ οἰκτρῶ*. „ Sensus igitur huius loci est: *iudices saepe etiam noxios homines ab-* „ *soluisse, siue misericordia dicendo suppliciterque veniam rogando commo-* „ *ta, siue gratia adulando inita.* Quod porro ad crisin tuam at- „ tinet, cum vtrumque ἢ delendum censēs, nullam necessitatem „ video. Neque *ἰο ἐπιχαριτωσ εἰποντας* causam reddit *ἰα ἐκ ἰα* „ *λογῶ οἰκτισαντες*, vt e dictis intelligis. Manifestum est, duas „ causas

„ causas absolutorum nocentium reddi, easque diuersas, *gratiam*  
 „ *et misericordiam*. Ceterum habet structura orationis aliquid  
 „ duri, quod ἴσῃ ἢ diuersorum casuum participia, οἰκτισαντες et  
 „ εἰποντας iunxit: quod non est elegantissimum, sed tamen non  
 „ omnino vitiosum, neque tale, vt, si sensus alioqui constet, ali-  
 „ quid mutandum sit.“ Atque haec sunt, quae Ernesti S. V.  
 atque Excell. adfert ad h. l. explicandum, et lectionem vulgatam  
 tuendam confirmandamque. Cuius quidem verba, quae singula-  
 rem ac reconditam ipsius in hoc literarum genere scientiam satis  
 demonstrant, integra hic dare volumus, vt lectores nostri, qui,  
 quam dixi epistolam praestantissimam, ad manus non habent, de  
 hoc loco iudicare possint, nec nos, verbis quibusdam omis-  
 ram eius sententiam mutilam mancamque reddere videamur.  
 Quo facto, Viri Summi et Patroni O. M. pace monere liceat, quae  
 mihi in ipsius obseruatione doctissima atque elegantissima scrupu-  
 lum iniecerint, et qua crisi coniecturali putem, difficultatem, ab  
 eo ipso indicatam, tolli posse, lucemque loco huic dubio affundi.

Primum quidem orationis structura habet omnino aliquid du-  
 ri, quod ἴσῃ ἢ diuersorum casuum, primi nimirum et quarti,  
 participia iunguntur: id quod si non plane vitiosum est, tamen  
 nequaquam eleganter dictum existimari potest: atque si hoc ferre,  
 nec temere mutare debemus, loca, me saltem iudice, afferenda  
 erant similia, ex quibus palam fieret, auctores bonos eiusmodi  
 orationis structuram interdum adhibuisse. Quibus non adductis,  
 de veritate lectionis in hoc loco singulari, iure cuique dubitare  
 licebit. Praeterea ἴσῃ οἰκτισαι non semper idem, quod ἴσῃ οἰκτε-  
 ραι, significare mihi videtur, sed inter vtramque vocem differen-  
 tia quaedam intercedere, plane sic, vt inter οἰκνω et οἰκίζω, v.  
 Thomae Mag. ἐκλογαί p. m. 645, it. Aelian. V. H. l. 8. c. 5, et quae  
 Perizonius praestantissimus ad h. l. obseruat. Nam ἴσῃ οἰκτερεαι est  
*miserari aliquem, misericordia erga aliquem affectum esse*, vt inter  
 omnes constat. Sic v. c. Aelian. V. H. l. 3. c. 22 ab init. οἰκτε-  
 ραντες οἱ Ἀχαιοὶ ἴσῃ ἀδισκομένων ἴσῃ τας, *Achivi captiuorum fortu-*  
*nas miserati*, seu, *misericordia aduersus Troiae captae incolae, horumque*  
*fortunas affecti*, cet. ibid. l. 13. c. 30, Olympias ἴσῃ ἑαυτης ἴσῃ τας ἐκτε-  
 ρασα, *suam ipsius fortunam miserata*, s. *suam ipsius sortem deplorans*.  
 Clem. Alex. Stromat. l. 4. p. 530. καὶ μισωσι ἴσῃ ἐκλεκτον ἴσῃ νες, εἶδεν

ετος ἴην ἀγνοίαν αὐτῶν, οἰκτιρῶν ἴης ἀμαθίας ἴην ἀγνοίαν αὐτῶν, propter ignorantiam suae inscitiam ad misericordiam commotus. Hinc et compositum, κατοικτιρεῖν, eodem sensu vsurpat Aristoteles, ἴητ. B. p. π. 95. ἔχινον δ' πλ. ὡς εἶδεν αὐτήν, scilicet ἀλωπεκα, κατοικτιρεῖν αὐτῆν ἐρωτῶν, κ. ἴ. λ. echinum autem, ea, vulpe nimirum, conspecta, misericordia aduersus eam affectum interrogasse. Sophocles in Aiace flagell. v. 510 ait:

οἰκτιρεῖς δ', ὦ νᾶξ, παῖδα ἴεν σου, κ. ἴ. λ. h. e. miserare, rex, tuum filium, cet. Cui loco sexcenta alia ex hoc ipso tragico, Aeschlylo item, Euripide aliisque adiungere possem, si res postulareret, et quisquam de huius vocis significato dubitaret. Accedit, quod nomina, inde ducta, eandem seruant potestatem, vt οἰκτιρῶν, misericors, οἰκτιρῆμος, misericordia, cet. Contra ἴο οἰκτιρῶ videtur esse nonnunquam μεταβατικόν, plane sic, vt οἰκτιρῶ, adeoque significare, misericordiam in aliquo excito, commoueo aliquem ad misericordiam, facio, vt aliquis miserescat. Quod quoniam in lexicis vulgaribus non satis docetur, atque exemplis probatur, faciendum esse arbitror, vt, quantum fieri potest, hanc meam sententiam auctorum verbis stabiliam ac confirmem. Equidem in Scapulae lexico haec reperio: „oratores autem οἰκτιρεῖσθαι dicuntur, quum et ipsi reum miserantur, et ipsos indices vel lacrimis, „ vel οἰκτρολογία, ad eum commiserandum permouent, Athen. lib. 13: “ sed quoniam hunc scriptorem ad manus non habeo, adeoque ignoro, an Scapulae fide testimonioque standum sit, nec ne: alia congesta loca, quae, quod dixi, confirmare videntur. Sophocles Oed. tyr. v. 1318 sq. certum quendam nuntium pronuntiare fingit haec verba:

— — θεαμα δ' εἰσοψεῖ ἴαχα

τοῖστον, οἶον καὶ συγχεῖ ἐποικτισαι

h. e. mox autem eiusmodi videbis spectaculum, quod vel in hoste misericordiam moueat, seu, hostem etiam ad misericordiam flectere possit. Vnde apparet, ἴο ἐποικτισαι h. l. vsurpari sensu diuerso ab eo, quem ἴο οἰκτιρεῖν habere supra vidimus. Idem tragicus in Oed. Col. v. 474, chorum ita iubet alloqui Oedipum:

Ἐπαξίος μὲν οἰδῖπρος κατοικτιται,

h. e. Oedipus sane dignus, i. e. propter fata, per Apollinem ipsi signficata, tam miser est, vt misericordiam erga se aliorum excitare debeat. Et infra, v. 1345 1346. Antigone haec dicit:

λέν

Λεγ', ὦ Τηλαμῶν, αὐτός, ὃν χρεῖα παθεῖ.  
 Τα πολλά γὰρ σοὶ ῥημάτων ἢ Τερεψάντια σοί,  
 Ἡ δοχευαμοντί, ἢ κατοικτισαντα πῶς,  
 Παρεχε Φωνὴν σοὶ ἀθωνητοῖς σοῖα.

Quae latine vertuntur hoc modo: *Dic, o miser, cur veneris. Plurima enim dista, vel oblectantia aliquid, vel offendentia, aut ad misericordiam flectentia, aliquam dedere vocem etiam elinguis.* De reliquis parum feliciter, non nisi ἡ ῥήματα κατοικτισαντα πῶς, obferuari volumus a lectoribus: quae profecto non possunt esse, *verba, quae miserantur, quae lamentantur, sed, quae misericordiam in aliquo excitare, s. ad misericordiam aliquem flectere possunt.* Quibus locis adiungere lubet quartum ex huius ipsius auctoris Trachin. v. 366 sqq. ubi chorus de aduersa Herculis, per Nessi donum veneno infecti, fortuna haec canit:

— — — ὦ ποποῖ, οἶον ἀναρ-

σταν ἔσω ἀγακλει-  
 τον Ηρακλεῖ ἐπεμολε παθος οἰκτισσα.

Quod ita vertit interpres: *O Dii, quale ab hostibus malum nunquam inclytum Herculem inuasit, ut misericordiam moueret.* Non satis clare ac perspicue. Namque poeta dicere vult: Proh! Dii, tantum inuasit malum Herculem celeberrimum, et per suam quidem Deianiram, quantum vel per hostes suos ipsi nunquam contigit, ac cuiusque spectatoris misericordiam mouere potest. His locis, quos Sophoclis tragoediae nobis suppeditarunt, adiungimus aliquem ex Aeschylo, non tam clarum quidem illum, sed tamen aliquo modo huc pertinentem. Is extat in Prometheus vincto, v. 36, quo Robur, velut personam aliquam, inducit alloqui Vulcanum his quidem verbis:

Εἰεν σοὶ μελλεῖς καὶ κατοικτιζήματῶν;

h. e. *fit ita: tu vero quid cunctaris, ac nequicquam misereris, s. f. flecteris ad misericordiam?* Quo loco tenendum est, 'vocem,' de qua quaerimus, hic vsurpari quidem *lamentandi* et *miserendi* sensu, sed forma passiva vel media: id quod satis demonstrat, eam, si a passiva adhibeatur, notare, *ad misericordiam flectere, seu, misericordiam in aliquo excitare.* Si enim ἡ κατοικτιζειν nil nisi *lamentari, miserari,* notaret, more verborum, quae sunt generis neutrius, tum forma passiva, quemadmodum hoc loco fit, mea saltem sententia

tertia, non satis recte inde formaretur. Vnde palam fit, ἡ οὐκ οἰκτιροῦμαι pertinere ad verba μεταβαλῆκα, et habere potestatem, quam supra diximus. Progrediamur nunc ad Euripidis, quae extant, tragoedias, ut ἡ οὐκ οἰκτιροῦμαι significatum, minus frequentem, inde stabiliamus. Hic tragicus in fabula, quae Hecubae nomen habet, Priami interfecti vxorem superstitem, de Polymestoris perfidia sic queri fingit, v. 716 sqq.

ἡ οὐκ οἰκτιροῦμαι ἀνδρῶν,

ὡς διευμοίρασα

Χρῶσα, σιδάρασα

Τερμων Φασγανῶ

Μελέα ἡδε παῖ-

δος, ἡδ' οὐκ οἰκτιροῦμαι.

h. e. *Ab! vir scelerate, quam laniasti corpus, ferro huius pueri membra dissecans, neque misertus es, s. neque ad misericordiam te flecti passus es.* Hic vocem, de qua disputatur, in medio usurpari videmus, iterum lamentandi ac miserendi sensu; quod fieri posse plane dubito, nisi actiue sumpta, in aliis, habeat potestatem, quam ei adserimus. Locus plane geminus reperitur in illius Supplicibus, v. 280 sq. quo chorus haec canere inducitur:

Ὀκτιροῦμαι ἀμφοῖν ἡκεῖν μὲ ἡκεῖν

h. e. *miserere, s. sine te ad misericordiam adduci erga me, pro liberis meis supplicantiem:* de quo eadem illa dicenda sunt, quae de priori diximus. Nec dissimilis est locus in Troadibus, v. 153 sqq. quippe quo chorus ita alloquitur Hecubam flentem querentemque de suis:

Ἐκαθῆ, ἡ ἡθοῖς, ἡ ἡθοῖς;

Τὶ δὲ θωύσσεις;

Δία γὰρ μελαδρῶν, ἡ οὐκ οἰκτιροῦμαι

Δὶ οὐκ οἰκτιροῦμαι

h. e. *Hecuba, quid clamitas? quid clamitas? quidnam vociferaris? Audio enim per atria miserandos eiulatus eorum, quos tu misereris, s. erga quos misericordia affecta es.* Quibus non nisi duo adiungere volumus ex hoc ipso tragico, loca, et ea quidem, si quid intelligo, omni exceptione maiora: quorum vno videmus vocem, de qua disputatur, adhiberi forma media, altero autem passiva, ita, ut, quam ipsi tribuo significationem, clarissime inde appareat. Alterum inueni



inueni in Helena; v. 1059 sq. vbi Helena Menelao, cui vt se mortuum simularat, quique velle se se id facere promiserat, haec respondet:

Καὶ μὴν γυναικείοις ἀν' οἰκτισίμας

κέρρασι καὶ θρηνοῖσι πρὸς Ἴον ἀνοσοῖ

quod ita conuersum est ab interprete: mouebo autem misericordiam muliebri tonsura, et lamentationibus nostris apud regem impium: seu, vt mallet: excitabo autem tonsura muliebri et lamentationibus meis in rege impio misericordiam. Alterum suppeditat mihi Iphigenia in Aulide, vbi Agamemnon, coniugi suae, Clytemnestrae, haec dicere fingitur, v. 685 sqq.

— — — σε δε παραβριμα ἴαδε,

Ληδας γενεθλον, εἰ κατοικτιδην ἀγαν,

Μελλων Ἀχιλλεὶ θυγατερ' ἐκδώσειν ἔμην

h. e. Te vero, Ledaë filia, precor, ne moleste feras, si me, filiam meam Achilli elocaturum, misericordia uebementer commouum videas. Ex quo utroque loco manifestum est, vocem οἰκτιζεν, actiue sumtam, significare debere, misericordiam excitare, commouere in aliquo. Sed ne cui mala fide agere videar, propterea quod non nisi poetarum verba adduxi, dabo locum aliquem ex historico bene graece docto. Nimirum Ioseph. de B. I. l. 5. c. 7, haec scribit: κατὰ τὰς χεῖρας, ὡς ἰκετεύων, δηθεν ἐκαλεῖ Ἴον Κεῖσαρα, καὶ ἴη Φωνὴ κατοικτιζόμενος ἐλεῆσαι σφας παρεκαλεῖ, κ. ἴ. λ. h. e. manibusque protensis, veluti supplex, Caesarem implorabat, et voce gemebunda misericordiam erga se ipsius excitaturus, obrestabatur, vt sibi parceretur. Qui locus meam de hac voce sententiam extra omnem dubitationem ponere videtur. Quid? quod substantiuum οἰκτισμα, inde deriuatum, originis suae significationem prae se fert, notatque facinus, ad misericordiam alicuius excitandam susceptum et perpetratum. Quo sensu occurrit in Eurip. Heraclid. v. 159.

Ἦν δ' εἰς λόγους ἴε, καὶ ἴα ἴων' οἰκτισματα

βλεψας πεπανθης, εἰς παλιν καθίσταται

δορος ἴο πρᾶγμα.

h. e. si vero dicta et horum miserationes, (seu, quod ego malim, eorum dicta et facta, ad misericordiam excitandam edita) intuitus, fueris emollitus, tum profecto ea res in armorum certamen veniet. Atque sic fatis demonstrasse mihi videor, ἴο οἰκτισμα in aliis habere

B

signi-

significationem, excitandi in aliquo misericordiam, impellendi aliquem, ut misereatur. Interea dissimulare nec volo, nec possum, ἵο δίκτιζειν saepe numero vsurpari sensu eodem, quo ἵο δίκτιζειν occurrere vidimus. De quo si quis dubitaret, sexcenta ipse excitare possem loca, quibus hac potestate adhibetur. Sed ad rem redeamus. Quum itaque ἵο δίκτισαι, et medium δίκτισαιδαι, nolet, misericordiam in aliquo excitare, commouere aliquem ad misericordiam, facere, ut aliquis misereatur: vellem ego quidem hanc ei potestatem in hoc Xenophontis loco tribuere, ut adeo δίκτισαιτες non tam ad iudices pertineat, quam ad ἀδικητας, atque leui mutatione scribendum sit δίκτισαιτας. Quo dato, quod orationis structura duri habet, id ex ea plane exulabit, et diuersorum casuum participia ἵο ἢ non amplius iungentur. Quod si quis ad Codd. fidem prouocet, eosque in hac voce nihil variare clamet: huic equidem responderim, eiusmodi consensionem videri ortam ex imperitia librariorum. Qui quum forte in libris primis legerent δίκτισαιτας, putarentque, ἵο δίκτιζειν nil significare, nisi misereri: quo sensu ad ἵο ἀδικητας pertinere non poterat: faciendum sibi rebantur, vt participium istud referrent ad iudices, adeoque mutarent in δίκτισαιτες. Quod in vno alteroque temere mutatum, posthac in omnes eos, qui inde sunt descripti, facile effluere et potuit et debuit. At vero si artis criticae magistri recte praecipunt, in eiusmodi locis, vbi vox quaedam notior, aut sensu notiori, recepta videatur pro rariori et elegantiori, sed minus vsitata, hanc in textu locum habere debere: canonem hunc criticum non sine causa huc pertinere arbitror, ac mutationem, ex ignorantia factam et propagatam, e libris nostris reiciendam esse; in primis quum, eo facto, nec sensus ineptus atque absonus inde oriatur, et stili elegantiae consulatur.

Sequitur, vt de ἐκ ἵο λογος disputemus: quod quidem Bachius Clar. consentiente Ernesti ἵο πανυ, recte se habere, nec tentandum dicit: contra Gesnerus Celeb. in ἵο ἐκτος λογος mutari volebat, quia ἵο ἐπιχαριτως εἰποντας opponeretur; in cuius sententiam abire nullus dubito. Quod ne temere facere videar, causas meas exponam necesse est: praesertim, quum esse queant, qui fieri non posse existimant, vt quemquam ἐκτος λογος ad misericordiam adducamus. Id vt planum fiat, quaedam ex Antiquitt. Gr. repetenda sunt. Nimirum legibus sancitum erat, vt oratores in causis agen-

agendis nil nisi nudam exponerent veritatem, absque vlllo exordio ac peroratione, absque ornamentis, figuris rhetoricis, aliisque artibus, ad iudicum affectus, vt, inuidiam, misericordiam, commouendos aptis. (v. Potteri Archaeolog. Gr. Vol. I. p. 106. edit. angl.) Cuiusmodi lex reperitur in Aristot. Art. Rhet. l. I. ab init.

Qui posteaquam docuerat, nil, quod ad rem non perineat, dici debere, pergit hoc modo: καθάπερ καὶ ἐν ἀρεῶν παγῶν ὁρθῶς ἴσ' νομίζοντες. „ὃ γὰρ δεῖ ἴσον δίκασθαι διαστρέφειν εἰς ὀργὴν προαγορεύοντας, ἢ φθόνον, ἢ ἔλεον κ. ἢ λ.“ Quod quum ita esset, homines, vt fit, legis vim effugere tentabant, quosque iudicum affectus verbis veritum erat, eos cum rebus aliis, vt, squalore, cruento gladio, vestibibus sanguine perfusis, tum picturis excitare studebant. Cuius rei testis est Quintilianus Inst. Orat. lib. 6. c. 1. qui: *sed non ideo, inquit, probauerim, quod factum et lego, et ipse aliquando vidi, depictam tabulam supra Iouem in imaginem rei, cuius atrocitate index erat commouendus.* Multi etiam, quod eiusmodi artificio sequebantur, assequuti subinde sunt, teste eodem illo auctore, lib. 11. c. 3. *Nec mirum, si ista, quae tamen in aliquo sunt posita moniti, tantum in animis valent, quum pictura, tacens opus, et habitus semper eiusdem, sic in intimos penetret affectus, vt ipsam vim dicendi nonnunquam superare videatur.* Id quod magis declarant ipsius verba Declamat. CCLII. *ubi tabellam pauperes ferunt, tum subit tacita quemque cogitatio superbiae vestrae: tum omnium, quae facitis, iniuriarum.* Ex quibus omnibus apparet, actorem aequae ac reum in iudiciis nonnunquam consueuisse ἐκτος λόγῳ δίκασθαι i. e. absque oratione iudices ad misericordiam flectere. Atque ad hunc morem Socrates his ipsis verbis spectare videtur. Igitur auctore Gesnero Celeb. legendum esse censeo ἐκτος λόγῳ ὀπποῦνι ἴσον ἐκτος λόγῳ frequenti ἴσ' ἐπιχαριτωσ εἰπόντας, et praeterea ἴσ' δίκασαντες mutandum in δίκασαντας, vt adeo locus ita sonet: ὃ ὄρας ἢ Α. δ. ὡς πολλακίς μὲν ἀδικήσαντας λ. ἢ ἀπεκτείναν, πολλακίς δὲ ἀδικήσαντας, ἢ ἐκτος λόγῳ δίκασαντας, ἢ ἐπιχαριτωσ εἰπόντας, ἀπελυσαν; h. e. *nonne vides, iudices saepe solere, innocentes quidem interficere, noxios contra, qui aut absque oratione eos ad misericordiam commouerant, aut eorum gratiam adklindo inierant, absoluere?* Quod si pro δίκασαντας scribere malis δίκασαμεντες, non vehementer reclamarem: sensus enim loci vtrumque, si quid video, patitur.

Atque

QK 11, 582

Atque haec sunt, quae mihi super hoc loco in mentem venerant, quaeque cum lectoribus meis communicare volebam, ut ea examinare, meque errantem si viderint, rectiora docere possint. Cui quaedam Aeliani loca adiungere constitueram, quae legenti mihi dubium mouerunt, et, me iudice, crisin patiuntur. Sed quoniam praeter opinionem satis longi fuimus, ac nolumus iniurii esse in lectorum patientiam, eas coniecturas in aliud tempus referuabimus, accessuri iam ad id, quod nunc agendum est. Nimirum in palaestram producere volumus ac debemus iuuenes aliquot ornatissimos, disciplinae nostrae alumnos, qui, quos in artibus, quae ad humanitatem pertinent, progressus fecerint, declarare oratione constituitur: qui quidem sunt:

I. GOTTHELF IMMANVEL HAHNVVS, *Dresdensis*, iuuenis patris Pl. R. morte praematura, aui fato singulari, ingenii felicitate, morum elegantia commendabilis, qui *Theologum H. E. peritum* canet carmine latino.

II. CAROLVS GOTTLIEB GLOECKNERVS, *Arnsfeldensis*, S. R. Pastoris in hoc oppido primarii, Praefulis *διοικησεως* Annaberg. Summi, Ephori nostri excellentissimi filius, patre suo praestantissimo maxime dignus, qui, *quantum Hist. Eccles. notitia conferat ad aliorum errores in rebus sacris refellendos*, oratione latina profla exponet.

III. TRAVGOTT ANDREAS BIEDERMANNVS, *Annabergensis*, patris Consultissimi, et, dum in viuis esset, de hac ciuitate optime promeriti filius, fortunae malignitate non minus, quam ingenii praestantia et morum honestate commendandus, qui quidem *emolumenta Historiae in iure discendo* declarabit oratione Franco-gallica.

Quo facto tres hi iuuenes nobilissimi ac praestantissimi, optima spei homines, scholae musisque nostris fauila quaeque apprecabuntur carminibus vernaculis, quoniam stadia academica ingredi, in eisque decurrere statuerunt. Hoc ut lactissimis faciant auspiciis, et Lipsiae rerum suarum fautores statoresque reperiant quam optimos, animo optamus pio ac sincero. Quae vota nostra pluribus exponet

III. GOTTWALD THIERFELDERVS, *Buchholzensis*, qui, postquam graeca oratione docuerit, *notitiam gr. et lat. linguae, ad recte discendam historiam antiquam, esse maxime necessariam*, commilitonibus nostris, breui non nostris, faustissimos lactissimosque rerum suarum successus pia deuotaque mente apprecabitur.

Quos declamatores ut EPHORVS Summe Reuerendus atque Excellentissimus, reliqui item Scholae nostrae CVRATORES, PATRONI, ac FAVTORES, pro suo quisque ordine ac dignitate colendi ac deuenerandi, beneuolo animo audire velint, omni, qua decet, pietate et obseruantia oro rogoque. Scrib. Annabergae ipsis Cal. April. A. S. R.

clb Is cc LXIII



Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Q.N. 532, 23

B. m.



CONIECTVRAS  
IN ALIQVEM  
XENOPHONTIS LOCVM  
EDIT

SIMVL X 2316498

DECLAMATIONES QVASDAM

A. D. VIII APRIL

H. D. Q. C.

HABENDAS

INDICIT

GEORGIVS HENRICVS MARTINI  
A. M. ET SCHOL. RECT



ANNABERGAE  
EX OFFICINA FRIESIA